



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv**

**Marchetti, Annibale**

**Florentiæ, 1687**

Capvt III. Gravi Morbo, Aegrotis ministrando, corripitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43962**

commodaverit, obtuleritque, proximo capite  
persequemur.

CAPVT III.

Gravi Morbo, Aegrotis ministrando,  
corripitur.



Nno insequenti, quem Æterna  
Numinis Providentia Aloysij  
funeri destinaverat, frequen-  
tissimæ mortes ex annonæ ca-  
ritate Italiam propè omnem  
infestam habuere. Romæ ve-  
rò, quò maiorem pauperum vim spes alimonix  
undique conuocarat, ita mors grassabatur, ut  
pestilentix munus fames auspicaretur: tam-  
multos cernere erat annonâ ingruente fa-  
mis atrocitate peremptos. Hanc benè de alijs  
merendi occasionem nacti Societatis Patres eò  
curas omnes, & cogitationes conuertunt, ut  
ad animorum salutem procurandam, corporum  
curatione sibi viam munirent. Nullâ enim re  
æquè aliorum animi nobis adhæserat, atque ad-  
hibita sibi amicitissimis, cognatisque corpori-  
bus misericordiâ. Ergo sublevandis inopum.

Mortis oc-  
casio.

Officia pie-  
tatis a PP:  
Soc: erga  
pauperes.

V mi-



miserijs omnes certatim vel suo, vel precario  
 commeatu graves totâ Vrbe volitare, egentes  
 conquirere, solari, reficere, vitæque præfenti  
 quodammodo restitutos ad æternam salutaribus  
 consilijs, atque adhortationibus comparare.  
 Eodem Claudius Aquaviva univærse Societati  
 Præpositus maximè omnium incubuit: ratus  
 enim haud commodè quenquam præesse ardua  
 sequentibus, quin & idem præiret; cum suos  
 omnes alijs atque alijs Urbis Nosocomijs descri-  
 psisset, ipse ad ea agmen ducere, atque infima  
 quæque plenaque periculi ministeria subire nõ  
 dubitabat: sic prorsus ut ne elephantiacis qui-  
 dem sese adiungere, ac ministrare temperaret.  
 Quin etiam, ut latior nostris, in quo virtus ex-  
 currere, atque exerceri posset, campus pateret;  
 novum de suo aperiri, ac sustentari Valetudi-  
 narium iussit. Quo tempore, cum suam quif-  
 que partem, cuius tutandæ reus esset, impigre  
 obiret, Aloysius vim suæ caritatis latè expli-  
 cuit. Ac primò quidem crebrò per Urbem sti-  
 pem ostiatim corrogare est aggressus, idque  
 tantâ alacritate, ut obvios quosque admiratio-  
 ne defixos sisteret; propterea quòd eâ lætitiâ  
 mendicum diffuere cernerent, cuius summâ  
 inopiâ opulentissimi quique laborarent. Vene-  
 rat Florentiâ per eos dies negotij cuiusdam a-  
 pud

Cl: Acqu:  
 Elephãtia-  
 cis mini-  
 strat.



pud Pontificem procurandi causâ Ioannes, vir de Gente Mediceâ princeps. Hunc Aloysio vetus a primâ ætate, ac diurna consuetudo mirificè conciliaverat, summâque necessitudine, ac benevolentia iunxerat. Quam ob rem cum se officioso Principi haud vulgariter obstrictum intelligeret, a Provinciæ Præsidi, illum ut salutatam iret, veniam rogavit, hâc tamen lege, ut trita atque obsoletâ amictus lacernâ, item, manticâ onustus eius in conspectum veniret: quod duplici de causâ ab se fieri significavit; altera, ut inopum angustijs de illius notâ munificentia opem ferret; altera, ut Christianæ pietatis quæ in eo olim semina deprehenderat, illâ rerum humanarum despicientia, foveret, excitaretque. Itaque veniâ exorata utroque voto positus est: nam & Princeps haud modicâ pecuniam in pauperum usus erogandam tradidit; & eo aspectu prænobilis Adolescentis in mendicitate hilaris, commotus, suæ ingemuit, humanæque omni amplitudini, quam supernâ luce collustratam ita Sanctis viris decolorari, ac vilescere cerneret: tum miris laudibus Beati Adolescentis demissionem prædicare, ceteraque eius gesta olim sibi comperta in Cælum, tollere minimè cessabat.

Porro cum ægrotis operam daret, usque a-

V 2

deo

Inuist Io:  
Medicem  
trita ami-  
ctus veste,  
& manti-  
ca onustus



**Eius exē-  
plo Tibe-  
rius Bon-  
dus mor-  
tis pericu-  
lum negli-  
git.**

**Al: Tiberij  
vitam sua  
redimere  
sup. t.**

deo eius exemplo ceteri permovebantur, ut Ti-  
berius Bondius unus ex eius socijs in solito actu  
illius aspectu succensus, non labori, non peri-  
culo parcens, omnium foeditissimis, maximeque  
destitutus ministrare gauderet: monentibus ve-  
rò, diligentius sibi cavendum, quòd morbus  
contagione vulgaretur, Aloysium opponebat,  
cuius contentione pudor esset, vilem animam  
ei periculo subducere, cui tam nobilem Aloy-  
sius Christi causâ obiectaret. Quare cum Ti-  
berius in eo ministerio sibi haudquaquam tem-  
perandum duceret; paucis diebus luc correptus  
interijt. Eum verò ubi Aloysius supremo mor-  
bo conflictari vidit, amico astanti, quàm li-  
bens, inquit, Tiberij vitam, vicariâ morte  
redimerem: certa enim nunc spes mihi foret,  
a Deo minime repudiatum iri eam animam,  
quam eius causâ profunderem: quid me verò  
futurum sit, si alio mortis genere occumbam,  
mihi prorsus ignotum. Eâdem postea vi morbi  
plures ex eius socijs absumpti sunt, & prodigio  
simile, quòd non omnes: nam quâcumque pla-  
nè oculos conijcerent foeta omnia mortem in-  
tentare, atque adeo exhalare videbantur. Vbi-  
que vel moribunda, vel extincta corpora sanie,  
taboque fluentia occurfabant: undique luctus,  
clamorque opem implorantium, quam sæpè cū  
nemo



nemo ferret, alijs contactum metuentibus, alijs in diversum vocatis, doloris vi quidam lectis delapsi ad terram exanimis defluebant. Aliqui in insaniam acti, cum fugam meditarentur, scalarum gradibus in præceps delati extinguebantur: cumque alios aliud lethi genus exciperet, ac mu tiplex mortis occurfus, validos deterreret, Aloysij animum Cælestis Patriæ desiderio flagrantem erigebat. Inde nullo discrimine ægros omnes complecti, recentibus lectum sternere, vestimenta detrahere, pedes abluere, osculari, ad humillima quæque demitti. Idem eius exemplo tacti impigrè præstabant sociorū reliqui, sese per summam sui negligentiam iactantes quòcunque desideraret ægrotantium salus: verum obseruatum est, Aloysium ægrorū semper fœtidissimos, maximèque ulcerosos solum sibi deligere; iisque, hæcere, blandiri, ministrare, cibum atque item potum, si fastidirent, commendare, si sumere per se non valerent, in os indere, curatisque corporibus, mentem cælesti doctrinâ imbuere. Simul illud admiratione non vacat, quòd quibus ceteri laboribus frangerentur, ipse constantiam aleret, augetetque: quam tamen solito firmiorem, coniunctamque cum incredibile laborandi cupiditate ipsemet demiratus, Roberto Bellarmino

Pia eius ad  
uersus æ-  
gros maxi-  
mè ulcero-  
sos officia.



mino indicavit, eamque sibi argumēto esse  
 suggestit, haud procul suum ex hâc vitâ exitum  
 fore; finem quodammodo ex velocissimo ad se-  
 des Supernas motu suspicatus: tamen clarior  
 eius rei notitia aliundè oborta minimè illi hâc  
 de re dubitare permiserit, uti alibi memoravi-  
 mus.

Tiberio Bondio, cuius antea meminimus,  
 vitâ functo, alijsque socijs compluribus morbi  
 contagione, vel extinctis, vel in extremum dis-  
 scrimen adductis, Collegij Rectori in mentem  
 venit, ceteris, quorum minus firma valetudo,  
 id periculi cavere: quare Aloysio denuntiat,  
 Nosocomio in posterum abstineat, ne ut pau-  
 cis profit in præsens, omnibus in posterum sit  
 defuturus. Paruit is quidem; verùm haud mul-  
 tò post Divino instinctus afflatu, quo dudum  
 ad Superos vocabatur, instare cœpit, ne bea-  
 tâ ceterorum sorte, atque opportunitate sese  
 Numini devovendi fraudaretur: quod cum ite-  
 ratis precibus urgeret, id duntaxat indultum,  
 ut aliud Valetudinarium ad Palatij radicem,  
 cui a Consolatione nomen, obiret: ubi nimi-  
 rum excipi minimè consueverant, quorum a  
 contagione periculum immineret. Verùm quia  
 pestilentia ingruente faciliè omnis in luem  
 morbus corrumpitur; eodem valetudinis gene-  
 re

Nosoco-  
 mio prohi-  
 bitus repe-  
 tedi veniã  
 precibus  
 obtinet.

Inde gravi-  
 ter aggro-  
 tat,



re ipse quoque tentari cæptus, graviter, ac  
 periculosè paulò post iacere compulsus est. Si-  
 mul, ac morbo sese urgeri sensit, suspicatus  
 supremum illum adesse, quem divinitus brevi  
 affuturum Mediolani didicerat; incredibile  
 dictu est, quàm ingenti gaudio efferi, ac ni-  
 miâ voluptate gestire cæperit. Vbi tamen cre-  
 scere sibi in dies, & paria cum periculo incre-  
 menta capere, moriendi cupiditatem sensit; ve-  
 ritus, ne modum non servaret, Robertum Bel-  
 larminum, cuius nutu, arbitrioque sua omnia  
 componeret, consultum voluit, nunquid ab se  
 in tam vehementi mortis desiderio offenderetur?  
 resposum fuit, Deo offensionem esse non pos-  
 se, eum a nobis supra vitam, quâ nihil carius,  
 iucundiusque, diligi: nec visendi, fruendique  
 Numinis desiderium modum egredi posse, cui  
 modus esse, nequaquam debeat. Quo audito,  
 tunc demum æternæ vitæ cupiditati fræna la-  
 xavit, adeo ut nihil nisi beatorum Mentium in  
 Cælo ævum mente, atque animo agitare.

Eò brevi pernicialis morbus evasit, ut septi-  
 mo die (qui de salute decernere vulgo creditur)  
 suprema denunciaret. Quare sacris Omologe-  
 seos, atque Eucharistiæ mysterijs ultrò accer-  
 sitis, ac ritè peractis, Divino Chrismate a-

Quod ni-  
 mio mor-  
 tis deside-  
 rio tenere-  
 tur, religio-  
 ni habet.

Sed a Belli-  
 ca eximie-  
 tur.

Sacris my-  
 sterijs ad  
 mortem  
 munitur.



Bernardino Rosignolio, qui tunc Collegio præerat, delibutus, universis circum collacrymantibus mortem æquo, libentique animo opperiebatur. Interea quia crebrò ab amicis vitio sibi datum succurrerat, quòd plùs nimio sese corporis afflictationibus discruciasset, prædictumquè futurum, ut in extremo spiritu maturaræ sibi mortis scrupulo angeretur; ne metum hunc pietati exitialem suâ morte obfirmaret, Rectorem rogavit, ut palàm omnibus ediceret, nullâ se huiusmodi tunc anxietate premi, propterea quòd nihil, nisi eorum, qui præessent, vel authoritate, vel permisso unquam egisset: quin dolere magis, ac nonnihil sibi religionis esse, quod plura neglexisset, quorum fortasse copia, si posceretur, facta esset. Ad hæc si quid unquam præter morem, atque institutum ab se factum animadvertissent, ne inde offensionem, aut violandæ disciplinæ documentum caperent: certum enim sibi esse, nullâ neglectæ legis, aut domesticæ consuetudinis conscientiam teneri: sed si quando a communi viâ aberrare visus esset, id eius iussu, qui domui erat Præpositus, effecisse, legemque in tabulis mortuam prætergressum, ut viva in sequeretur. Quo audito, Patres universi, ceteraque iuvenum turba, quæ conclave oppleverat, obortis lacrymis

Declarat,  
se nullo  
scrupulo  
ob austeri-  
tatē adhi-  
bitā teneri

Itē quod  
regulā nul-  
lam viola-  
verit.



erymis præclarissimi exempli iacturam mox, uti rebantur, faciendam lamentabili comploratione prosequerentur.

Sub hæc ingreditur ad Aloysium Io: Baptista cognomento Carminata, universæ Provinciae Præfectus; quem intuitus Adolescens, seriò rogare cæpit, potestatem sibi permitti, pro eo, ac meritis in omni vitâ superiori esset, flagello in sese animaduertendi: subridenti verò, abnuentique Præfecto, eò quod tractando flagro adeo viribus defectus minimè par esset. Illud, inquit, saltem liceat, ut alius quilibet me a vertice ad talos pro merito probè contundat: cui ille, si infligendis, inquit, verberibus sat virium non est, quoniam pacto perferendis erit? Deinde qualis isthæc pietas, alios ad tantum impietatis aduocare, atque in id discriminis adducere, ut animam agenti fatum properantes, sese ad sacros Ordines, & ministeria ineptos reddant? His dictis, pro suâ Aloysius ad omne imperium facilitate, acquieuit. Mox, id unum, inquit, Pater haud abnuas peruelim, ut nudâ humo cubanti mortem opperiri liceat: quod, tametsi prudenter ab altero negatum, fructu suo minimè caruit: documento cunctis relicto, Christi Crucem tota vitâ sublatam in morte non abijciendam, sed subeundam.

Ingens

Mortis, proximus facultatè petit, ut valet.

Deinde ut mortè humi iaceret excipiat.



Alijs me-  
tuentibus  
ille sperat  
se moritu-  
rum.

Ingens erat omnibus metus, parque illi spes,  
eum diem ætati postremum fore: verùm aliter  
Superis visum, placuitque strenuo militi novas  
vires sufficere, quò tam nobile cum morte cer-  
tamen diutiùs traheret, pluraque virtutis docu-  
menta spectantibus daret.

## CAPVT IV.

*Morbo in hecticam febriculam disceden-  
te, unam atque alteram Episto-  
lam Matri mittit.*

Falso spar-  
gitur eius  
mors.



Um Romæ Aloysius in extre-  
mis ageret, Fama, quæ rerù  
amplificationibus plausum ca-  
ptat, Cassilionem usque per-  
uaserat, Aloysium diem suum  
obijisse: fuitque rumori, quan-  
quam sine authore vaganti, fides non modica:  
iamque propterea Mater, ac Rodolphus ger-  
manus eius funeri pro suâ benevolentia, ac li-  
beralitate iusta persolui curaverant: cum su-  
bitò certissimis nuntijs affertur, adhuc super-  
stitem esse, mortisque periculo seu Medicorù,  
seu Numinis ope subtractum lentâ febriculâ di-  
stineri.